

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Examen Alchymisticum

Gassmann, Franz

Noribergae, 1676

VD17 VD17 12:187373A

Cap. 3

[urn:nbn:de:bsz:31-99973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99973)

Cap. 3.

Post objectum artis Hermeticae considerandus restat ejus finis ultimatus, nempe aurum; quia verò supra satis explicatum est, plura non addimus, nisi quòd obiter monemus; si folia auri ad amalgamandum eliguntur, communia non esse sumenda, quia vel cupro vel argento sunt mixta, quod toti operi non parùm noceret. Est quidem adhuc aliud aurum, quod Philosophorum appellatur ab iisq; mire laudatur; differt autem à nativo valdè, non quidem essentia, sed fixitate. Est enim nil aliud quàm Mercurius Sophicus coagulatus; aptissimum verò censetur hoc aurum, à Philosophis, pro opere ipsorum brevi & occulto, innuente Gebero accidente: Quod si ex solo Mercurio perfeceris, indagator eris pretiosissimi Magisterii; quia verò prædictum aurum analogicum, finis ultimatus nostræ Alchymia non est, ideoq; plura addere cessamus.

Hic habet æquissimus lector totam illam scientiam, quæ verum Philosophum nobilitat eumque à colluvie pestilenti Alchymistarum vulgarium segregat, qui hanc callet, non tantum theoreticè sed etiam practicè, Adeptus nominatur, id est consummatus Philosophus & Medicus naturæ humanæ ac metallicæ. De hoc solo verum est Hippocratis effatum: *Ἱπποκράτης γὰρ ἀνὴρ ποικίλων ἀνταξίῳ αἰχμῶν.* Vir medicus

dicus est incomporabilis. Jam, cū contraria juxtā se posita magis elucescant, delineandum quoq; est, quid Pseudosophi, Alchymistæ vulgares promittant & quomodo transmutationem suam instituant. Quia verò plerumq; sunt indocti ac indociles, ex omni genere hominum malitiosorum, beneq; de iis vulgare distichon explicatur:

*Fingunt se Chymicos omnes, idiota, sacerdos,
Monachus & miles, histrio, rasoꝝ, anus.*

Proinde nullam methodum observantes, sicut ebrij, in fodinas minerales ruunt, quid pro quo arripiunt, secumq; cogitant, recipio, nescio quale, & facio, nescio quid. Omnes quidem finem, seu scopum bonum sibi præfigunt, eoq; se exhilarant, sed quia principium ignorant, finem non inveniunt.

Cap. 4.

QUò autem cum istis Sycophantis honorificè agamus, comparisonem placet instituere, centonis Pseudosophorum multiplicis, cum unico & simplici subiecto Adeptorum, quod, in veritate verissimā, est substantia Mercurialis, metallica & homogēnea.

Subiectum verò proximum Alchymistarum, antè annos aliquot, fuit vitriolum in totā suā substantiā, hoc purgârunt dulcificârunt, imò, quod Deus benè vertat, per colo-

res